



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,  
Consiliariorvm Iudicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm  
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum  
omnium**

**Tympe, Matthäus**

**Coloniae Agrippinae, 1617**

17 Bellum finitimis sine iustiß. caußis non inferre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

otoque pectore in studium sapientiae & virtutis  
incumbat. Vide D. Ioan. Chohier Thef. Pol. lib. 1.  
cap. 9.

## SIGNVM XVII.

Bellum non temere in  
ferre. **BELLVM FINITIMIS SINE GR**  
uissimis & iustissimis causis non inferre, seu  
hastis & flammis vicinas ciuitates non  
temere vastare.

Quemadmodum pacis commoda sunt multa  
ita incommoda plurima ex bello oriuntur  
(Arist. 7. Pol. c. 2.) In pace enim causae & merita  
spectantur; vbi vero bellum ingruit, innocentes  
ac noxij iuxta cadunt. (Tac. 1. Annal.) In pace  
parentes suos, in bello contra patres filios  
sepeliunt. (Herod. lib. 1.) Adhaec vt dracones,  
sugentes sanguinem elephantorum, & elephantes  
perdunt, & ipsimet pereunt: ita in bello  
que pars damno afficitur, perimit, & perit. (Curt.  
lib. 8. cap. 12.) Et qui victorias petunt armis, aut  
cupiunt ditescere, similes sunt ijs, qui harum  
reos piscantur, cuius abrupti & amissi detrimen-  
tum nullo capturae lucro pensari potest. (Arist.  
Victor in Augusto) Sumptus enim hic ingentes  
quiruntur, & definita bellum non querit. (Tac.  
Nec diuturna possessio est, in quam gladio in-  
cipitur. (Curt. lib. 8.) Adde quod bellum facile  
est potestate belli initium & finis: incipere  
etiam ignauo, licet, deponere cum victore

lunt. (*Sallust. in bell. Jug.*) Aegre euaginaturs mucro reconditur. Vt syluam si quis accēderit, non amplius ad ipsius arbitrium incendium fertur, sed ventis regitur, obuia quæque perdit, & consumit: ita bellum excitatum audacia vel ignorantia, non amplius in amborum est manu. (*Polyb. lib. 11.*) Lenissimus sæpe casus ex victo victorem, & ex victore victum exercitum reddit. (*Ionianus de bel. Neap.*)

*Victores, victiq; cadunt, viltiq; resurgunt.*

(*Virg. 2. Aeneid.*)

*Sæpe etiam victus redit in præcordia virtus.*

(*Alibi.*) & nunquam minus, quàm in hoc euentus respondet (*Liu. 3. dec. lib. 10. Herodian. in Maximino, Polyb. lib. 11. Casar lib. 7. de bel. Gal. Procop. lib. 2. de bel. Gal.*) Accedit huc quòd quæ sunt feliciter gesta omnes sibi vendicant, aduersa vni Imperatori imputantur, (*Tac. in vita Agricola.*) & magna facinora magnis periculis emuntur, (*Dionys. Hal. lib. 9.*) & mors optimum quemque *al. Mars.* ex acie pignerari solet. (*Cic. 14. Phil.*) id est, in pignus accipere, & sibi asserere, quasiq; obnoxium sibi capere, vt sit sensus, fortissimus quisque primus in prælio occumbere solet. Breuiter Mars mors est Reip. Hinc *r. Augustus Casar* prælium aut bellum (quod belluas decet) suscipiendum omnino negabat, nisi cum maior emolumentis spes, quàm damni metus ostenderetur. Nam minima commoda non minimo lætantes discrimine, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset. (*Suet. cap. 25.*)

2. *Scipio* cum in Senatu Rom. deliberaretur, an Carthago esset delenda, illo argumento, quòd

vtile esset relinquere hostes quosdam, quibus  
 de virtute certaretur civis, hoc dissuasit. Polyb. lib. 11.

3. Cicero pro Milone: *Incerti exitus pugnarum  
 & Mars communis, qui saepe spoliantem iam & ex-  
 ultantem euertit, & percutit ab abiecto.* (per ab-  
 iectum & victum.)

4. Paulus AEmilius dicebat: Perrarò bonum im-  
 peratorem signis collatis decertare, nisi summa  
 necessitudo aut summa ei occasio data esset. (Ca-  
 lib. 13. c. 3) vt & Terentius in *Eunuch.* ait: *Omni-  
 prius experiri consilio, quam armis sapiētem de-  
 5. Lucullus & Scipio dixerūt, malle se vnū ci-  
 seruare, quā mille hostes occidere* (Plut. in Lu-

6. Cū Alphonso Regi aliquot ciuitates ab E-  
 genio Pontifice oblatae essent dono, eò quòd  
 cenum armis suis Sedi Romanae recuperasset, Al-  
 phonsus cū has repudiasset, respondit, se  
 quaquam questus aut praedae, sed Ecclesiae gra-  
 hanc expeditionem suscepisse, innuens, non al-  
 ob causam, quā pro aris & focis, hoc est, pro  
 religione conseruanda & salute patriae bellum  
 dum esse. *Panorm. lib. 3. de Alph.* Temere susce-  
 pta bella infelicissimos semper habuerunt exi-  
 tus. Illos Reges, qui Palaestinam, terram promi-  
 sionis, occupabāt, caecitate percussit Deus, vt per-  
 tinaciter resisterent Iosue, atq; ita omnes extra-  
 guerentur. Ios. 11. Porus Rex interrogatus, cur  
 eò temere belli fortunam cōtra Alexandrū Ma-  
 gnum, à quo superatus erat, experiri voluisset, re-  
 spōdit: *Neminē me fortiorē putabā, meas enim vi-  
 res noueram, tuas nondum expertus, fortiorē te esse  
 belli docuit euentus.* Iosias Rex pius cū bellum  
 contra Regē Aegypti pacē petentē temere susce-  
 peret, ex fiducia humanarū virium, & quasi nihil

ob pietatē aduersi euenire posset, in pugna graui ictus interijt. 3. *Esdra* 1. Ancipites bellorū euetus sunt, & iusta etiā bella infelices sæpe exitus cōsequuntur. Multi etiā Principes, maximis exercitiis stipati, eo bello, ex quo victoriam & decus sperabant, insignē cladem & summum dedecus acceperunt. Sæpe milites perfidiam exercuerunt, neglectaq; fide, multos deseruerūt, & duces suos in media acie prodiderunt, ac seditiones excitārūt, vt exercitus dilaberetur, ipsi Principes caperentur, vel occūberent, & Resp. in summū exitiū adduceretur. Cū *Carolus Burgundio* nimium viribus & potentia suā tribueret, & Archiepiscopatū Coloniensem, totamq; Germaniā peruadere conaretur, à Deo desertus, misere periit. *Meierus lib. 7.* Ne Turcis quidem temere indicenda sunt bella, quæ sacra vocantur, nisi certa spes victoriæ affulserit, ne aliæ Christianæ Prouinciæ in discrimen adducantur.

Tēpore pacis omnia pulcherrimè vernant, coluntur agri, lætæ pascūtur segetes, ædificātur villæ, extruūtur oppida, crescūt diuitiæ, vigēt leges, feruet religio, floret Resp. studia excolūtur honesta. Cōtra, bello violatur religio, turbatur Resp. frangūtur vires, cōsumūtur & exhauriūtur opes, vexatur innocētia, alitur improbitas; omnia rapinis, cędibus, stupris cōmiserentur; laxatis pudoris & verecundiæ vinculis, morū sanctitas & castimonia profigatur; multa hominum millia iniuste trucidantur; omnia ferro, flamma, vastitate consumuntur, &c. Horū omnium apud Deum rei sicut, qui vel temere non necessaria bella suscipiunt, vel qui suis consilijs Principes per se acres & feroces ad temeraria bella instigant.